

7.
"habes, aliena claritudo non efficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror solum, ut imposita nobilibus necessitudo videatur, ne à majorum virtute degenerent. *Post* subjungit hæc metra,

Quid genus & proavos strepitis? Si primordia vestra
autoremq; Deum spectes Nullus degener exstat,
nî vitiis pejora fovens proprium deserat ortum.

Plato certè, *quæ addit in Notis Theodorus Sizmannus*, illud genus nobilitatis dicebat esse præstantissimum, si quis per se animi magnitudine excelleret. Et *Cassiodorus lib. III. Variar. epist. 17.* Tantum quis nobilior erit, quantum & moribus probis & luculentâ facultate reluxerit. Et *l. V. Variar. 12.* Hæc est indubitata nobilitas, quæ moribus probatur ornatis. Theodoricus Rex apud *Ennodium in Panegyrico*, Sine causâ parentum titulis nitimur, nisi propriis adjuvemur. Autor Carminis ad *Pisonem* (quod *Hadrianus Junius lib. VI. Animadversor. c. 1.* Lucano adjudicat) ita scribit,

Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
atria, quid pleni numerofo consule fasti
profuerint, si vita labat? Perit omnis in illo
gentis honos, cujus laus est in origine solâ.

Ausonius etiam vir & Poëta consularis in Ludo septem Sapientum Soloni Atheniensi hoc tribuit,

Pulcrius multo parari quam creari nobilem.

Et hoc est, quod ex *Mariana* advertit *Latberus* (*lib. III. de Censu c. 19. §. 54.*) quòd ignavâ nobilitate eorum nihil fit turpius, qui majorum gloriâ tumidi opes hæreditate susceptas in nequitia & levitate consumunt, confisque avorum laude ignaviâ ipsi atque socordiâ marcescunt: qui, quò clariores avi extiterunt, eò majori odio digni sunt, si splendorem nobilitatis libidine & impuritate obscurent. *Thomas Lansius in Oratione ultimâ pro Germaniâ* postquam hæc dixisset, *Quamvis in novis familiis promercalem originem nemo non contemnat & abominetur; quis*
amen